[Con]stantinus Josephus.

Janson Samuel: Pantheum Archipraesulei honoris in montibus Leoburgicis—

PANTHEUM
ARCHIPRÆSULEI HONORIS; IN MONTIBUS LEOBURGICIS,

ILLUSTRISSIMO,
&
REVERENDISSIMO DOMINO,

D. CONSTANTINO JOSEPHO ZIELINSKI,

DEI, & Sanctæ Sedis Apostolicæ gratiâ,
ARCHIEPISCOPO LEOPOLIENSI,

Opere Panegyrico,

ERECTUM;

&
ad Solennem Sedis Suæ Metropolitanæ
Leopoliensis Ingressum,

Inter faustas Orbis Poloni Acclamationes,

CULTU OFFICIOSISSIMO,
A

M. SAMUELE JANSON,
In Alma Universitate Cracoviensi,
Philosophiæ Doctore, & *Professore*,

DEDICATUM.

Anno Salutis 1701. *Die* 20 *Mense* Febru

CRACOVIÆ, TYPIS UNIVERSITATIS.



Lectus concilio Divûm convenerat Ordo,
Interiore Polo.
Aurea Templa replent, mixtâ, convexa Deorum
Maieſtate tremunt, radiant Maiore ſereno,
Culmina, & arcano florentes lumine poſtes.

Statius Lib. I. Theb.

ILLVSTRISSIME, & REVERENDISSIME DOMINE, ARCHIPRÆSUL LEOPOLIENSIS, DOMINE, DOMINE PATRONE, & PROTECTOR AMPLISSIME.

Sublime istud, & excelsis majoris fortunæ titulis eminentius Culmen, quando inter lætos Divûmq; hominũq; plausus inscendis, non sine prospero futuræ felicitatis signo, novum Pantheum, Magnitudini Tuæ assurgit. Novum fatum hominibus tribuere, & facere felices, cæleste donum est, & Divinum: vtrumq; in Archipræsulei Honoris Tui Pantheo Augur divinat Apollo. Nec Cortina ejus quenquam fallere poterit; cùm nihil est tam simile, tam cognatum Cælo, quàm pulchrum Virtutum Tuarum Agmen, quarum origo de Cælo. Nihil Augusto Deorum Concilio tam cõpar, quàm vivax, etiam post funera, Paternorum Maternorumque Decorum imago & fama perennis. Pantheum Quiritium, barbaricæ simulacrum opulentiæ, neminem felicem facere poterat, sine humani generis injuria & præjudicio; quia è varietatibus pretiosis, depressi & gementis Orbis constabat. Augustioris Tui Panthei Sacra Adyta,

quicunque

quicunque hospes religioso honore perfusus, subierit; nunquam non compos voti solennis redibit. In quo Divini humaniq; Juris Majestas perinde suum Augustale posuit, ac sincera pietas & Iustitia, quæ homines (ex Oraculo Augusti Cæsaris) Deos faciunt, Tabernacula fixere. Jllud ex spolijs devictarum Gentium, omne suum decus stupendum & variarum miracula Iconum deducens, edacis gulæ temporis, cessit in spolium. Cui faustitatis specimen esse potest? nisi forsan Romæ veteri! quæ in suis sepulta triumphis jacet. Tuum Pantheũ, ex perennibus Animi Tui pretijs totum dives, splendidum & Magnificum, Omnis humanæ felicitatis compendium, cujus facti consortes, ex fortunato eventu auguria capiunt, sat superq; beati, postquã se sensere felices. Ad hoc venerabundus accedo, tanquam aliquis Romæ ad Rotundæ Beatæ Virg. MARIÆ Templum, pro Tuæ Celsitudinis perpetuis Honoribus, vota appendens Aris; nec mei Musarumq; Academicarum immemor Exorator, quæ tecũ in spes meliores, quantò altiùs assurgunt, tantò demissius; Supremam Cælorum Majestatem deprecantur; vt Te, Polonarum grande decus Columenq; rerum, æternũ esse velit, jubeatq;.

ILLUSTRISSIMÆ ac REVERENDISSIMÆ
CELSITUDINIS VESTRÆ,

Humillimus Servus,

M. SAMVEL IANSON *Leop. P. D. & P.*

PANTHEON
AVITORVM DECORVM RADIANS MAIORE SERENO.

BArbara Pyramidum, sileat miracula Memphis.
Magnorum Icarus moliminum fastus,
quæ sine Dædala virtute, minantia cælo substruxit fastigia,
ævi sapientioris iudiciô, in ludibria vertuntur.
Talia instar miraculi habere,
tàm ridiculum habetur, quàm lapidem è sepulchro,
(ut inveteri proverbio est,)
pro Deo venerari.
Adeò omne, fastu profanô fastigiatum, non solidum terris?
Parios lapides, & crustata opera eò infelicius perdit,
quò inconsultiùs ad vanam ostentationem projècerit.
Assiduus jactet nec Babylona labor.
Stupenda illa strues & congestus lapidum,
etiam suis ridetur in ruderibus:
Quia artifice luxu muliebri, surgens in altum;
maiori iacturæ quàm gloriæ locum fecit.
Barbaricæ simulacra opulentiæ;
quamvis in Iovis Olympij ebore vel Rhodio Colosso superbiant,
ad superum favores non proficiunt.
Cùm, terrenis extructa materijs, terram sapiant,
& plausum popularem respiciant, non stellam polarem,
hoc est virtutem; Divinum insuperabile bonum:
Hæc in animis cælestia spirantibus,
æterna sibi Templa construit, immaginesq;
æternum mansuras erigit,
non cum Tyberio simulat malignè.
Immortalium eiusmodi molium basis, est ipse DEUS:
duratio æternitas: finis, summi gloria Numinis:
Spectator amor publicus:
Encomium propria conscientia.
Dædalus & Myron, & Apelles, ipse admirabilis animus,
Divinâ virtute conspicuus.

Tali artificio, Pantheon Tibi,
ſed ex Te Ipſo auguſtiùs ſurgit:
Illuſtriſſime & Reverendiſsime Domine:
Immortalibus Avitorū Decorum ornamētis;
non fluxis, falſorum Deorum Imaginibus,
terræ Cæloq; tam gratè viſendum;
ut ſimul oculos, animoſq; videntium abripiat:
Spectatorem omnium habens ſtuporem:
Quàm longiori, Avorum, Atavorumq; ſeriê extenſum,
tam Majore radians ſereno.
Ire per omnia illius, Iove digna ſpectacula,
vt probabilis obſequij, ita imparis ingenij mei eſt.
A triumphali, in quo baſis iacta eſt CAPITE,
ſumma perſequi veſtigia rerum:
inconſulti capitis, aut prophani artificis induſtriæ eſto.
Cæteras imagines, ſua vetuſtas cælo conſecret,
cui, illas fama perennis pridem aſſeruit.
Interim à Cardine Palatino,
è prope tuam gloriam contingente,
veterum decora alta Parentum, admirari liceat;
Quid enim non admiratione dignum ſpectavit Polonus Orbis,
in Illuſtriſsimo Domino,
GREGORIO ZIELINSKI,
Palatino Płocenſi, Proavo Tuo?
qui magnis perfunctus diſcriminibus,
non ſine commodo Patriæ, in Conſilijs Neſtor
in Armis Achilles.
Ille Bellonam, cum Apolline pulchro fœdere ligavit,
optimè audire arbitrando apud poſteros:
poſtquàm hinc Apollo, fidibus; inde Bellona Claſſico,
GREGORII gloriam perſonaret.
His palmaribus, inſiſtit veſtigijs,
Magni Parentis, non degener Filius, AVVS Tuus;
VALENTINVS ZIELINSKI,
Caſtellanus Płocenſis,

Verè

Verè Avitum decus Illuſtriſſimi Sanguinis;
prævalido Magnanimitatis & prudentiæ ſuccinctus adjumento,
pro Pergamis Poloniæ Hector:
exeruit ſemper, in Comitijs vocem liberam,
quoties pro libertate loquentem, exarſiſſe decebat:
cuius & Tutor fuerat, & acerrimus vindex;
Nempe:
Optimè noverat, hanc vnicam pupillam Polonorum eſſe;
adeoq; tueri illam fortiter, ne læderetur inferebat;
Alij poſtquam cæcutiunt; vident, quô tramite
irruit calamitas.
Ille adeò prævidit malorum incurſus,
ut ad illius mentis ſpeculam Poloniæ fata cæcutirent.
Non degeneres à Iove ſuo Parente,
& Hercule Fratre VALENTINO;
Ledæis fulgentiores aſtris, SIGISMVNDVS & NICOLAVS:
quorum virtutes & merita, juſtiùs Polonia Templis
& Divûm Imaginibus cœlo tenus attolleret:
quàm olim, Caſtori & Polluci Poſthumius,
quaſi ſtipendium Commilitonibus Dijs exſolvit.
Auxit Magni Patris NICOLAI gloriam,
iuxta militaribus adoreis,
ac Pacis Artium Oleis glorioſus:
ipſe lucis purpureæ illuſtrior auge;
in Senatorio Caſtellanatûs Viſnenſis Murice,
IOANNES ZIELINSKI,
Nec Solſtitium Purpuratorum Decorum,
in JOANNE!
Splendidam hanc Apogæi vicem,
Auguſtior Poloniarum Phœbus accendit;
In Illuſtriſsimo Parente Tuo,
LUDOVICO ZIELINSKI,
Caſtellano Sierpcenſi, Capitaneo Ciechano:
Quô non digniùs Pericles,
Nomen decuſq; Iovis Olympij tulerit!

qui pariter ſummis Regni in negotijs,
manu tonare, linguâ fulminare credebatur.
Hic velut rapidum è nubibus fulmen,
aquilonaria fulmina Suecos percuſſit,
Nec aliô pulchriori ſidere Cœlum,
quàm Tui Honoris Pantheon, receptâ cœlo
Summi Progenitoris imagine, ſplendet.
Iactat ſuum Bellona Heròém, immortali gloria dignum,
quia glorioſè pro Patria obijt,

VLADISLAVM ZIELINSKI,

Codrus alter; prorogavit illi ſuâ morte vitam,
Scivit enim agoniſantis Patriæ ſpiritum,
effuſâ Heroum vitâ detineri.
Mille quidem pennarum elogia non ſufficiunt,
ad deſcribendam ZIELINSCIANÆ gloriæ Panegyrim,
quibus in altum evolent!
Ipſæ ZIELINSCIORVM Dexteræ Calamos ſuppeditant,
quæ maioribus Regum fatis ad ſolia ſuffragantur.

Nempe:

VALENTINUS Caſtellanus Płocenſis,
JOANNES Dapifer Płocenſis,
ADALBERTUS, SIGISMUNDUS, & MARTINUS,

ZIELINSCIJ:

Electa Nomina, Electioni VLADISLAI Quarti
ſubſcripſere.

Ita:

Illuſtriſſimarum *Familiarum præclaris Nominibus,*
non duros animare in Fabricas Silices neceſſum eſt,
Ipſe ſuæ Dædalus gloriæ nobilium ſanguis,
Magnifica immortalium decorum excitat Templa,
dum arduum Virtutis & gloriæ iter, Heroico
exemplo, Herculeo labore pergit.
Culmine tantô ſupereminet,
Germanum carumq; Tibi pectus;

Magne Archipræſul

JOANNES ZIELINSKI Gubernator Ciechanovienſis,

Corcu-

Corculum Patriæ:
eius jura, libertatemq; vitâ potiorem habens,
Plùs quàm vigefies Tribunitiam poteſtatem Nuntius Terreſtris,
Magnorum more Maiorum adeo gloriosè ſuſtinuit,
vt nunquam Majeſtatis favores amitteret,
licèt libertatis integritatem offenſionum impavidus aſſereret.
Ficta Charitum vocabula fingere non licet,
in laudibus vbiq; gratioſiſsimi IOANNIS:
quem habuit Patria pro ſua Domo Oratorem:
Permulcebat ille obſtinatos aliorum animos,
melle dulcioris eloquij Neſtor.
Non invidit Athenienſibus ſuos Solones,
Auguſtus Tribunalis Regni Areopagus,
aureæ Libertatis Titulus: quando præſentem
Iuris & æqui tutelam adhibuit;
Non ſine pulcherrimo iuſtitiæ & gratiarum conſortio
J O A N N E S.
Qui in rectè judicando, Ariſtidis & Catonis integritatem,
nulli Sanguinis, aut amicitiarum corruptioni,
perviam exhibuit.
Illi, non ſola Themis, etiam Bellona patria,
pari jure dilectæ; juſtos decernunt,
quos magnis periculis meruit triumphos.
Magnis vtriuſq; Veſtrum exemplis,
& immenſo laudum ſuccenſi amore,
velut Themiſtocles alter Milciadis,
alter Theſeus Herculis trophæis:
altum nituntur in decus, gaudentq; cenſeri,
ambo Genus Heroum & geminus Pollux,
STANISLAUS ZIELINSKI, Supdapifer Płocen:
& JACOBUS ZIELINSKI, Vexillifer Dobrzynen:
Germana Veſtra Capita.
Quorum ille Celſitudine animi, & Heroicis Virtutibus
dignus Convivio Deorum vivus, quod
immature appetijt Pelleus Iuvenis.
Hic illuſtribus in Sago, Togaq; geſtis,

eò iam ZIELINSCIANÆ gloriæ ſigna intulit, quò non evolavit
Pyrrhus Aquila.
Nullo diſcrimine laudis celebratur;
Quem nihil non laudandum vobiſcum diſcernit populo
LUDOVICUS ZIELINSKI, Theſaur: Lomzenſis,
pectus Divini humaniq; Iuris, aureum ſcrinium,
cui idem entheus in præclara vigor, idem boni
publici amor, & Civilis prudentiæ norma:
ad quam, in Comitijs Generalibus componi,
multis fuit pulchrum & decorum:
idem limatiſſimi iudicij Meridies ſine vmbra:
Cuius intaminato ſplendore auctum eſt nuper,
Illuſtriſſimum Themidis Polonæ Serenum.
Habuit defenſorem ſuum innocentia,
timere non potuit vt illius judicio temneretur.
Non auri ſplendor lumen ipſi ademit
vt conniveret vitijs:
invenit ſcelera & punivit.
Advertit innocentem, vltro patrocinium obtulit,
alienum à judice reputans:
Periclitanti innocentiæ non ſuccurrere
Immortales Perſarum Regia corpora
domi belliq; tueri
& cuſtodire ſolitos non quærimus.
Quoties ad Triarios ZIELINSCIORUM ventum eſt:
Salva res Poloniæ
& tuta ſorſq; Saluſq; Regum.
Inaudita ſeculis, triumphalis ad Viennam laurus
Jnvictiſſimo JOANNI III. Poloniarũ Regi,
glorioſiſſimè omnium viruit:
quàm per cædes & Barbarorum ſtragem
virere fecerunt tres ZIELINSCII Heroes,
Cataphractæ Cochortis ingentia robora
CAROLUS, ADALBERTUS, & FRANCISCUS.
Iidem ob liberatos Viennenſes, gramineam Regi Gradivo
coro-

Coronam porrexère
Deduxit palmares illorum gressus,
in Budżiacenses Campos ipse gradivus
per calentes recenti hostium Sanguine gradus,
novos ostendens triumphos.
Ita
inflammata semel nescit mitescere virtus,
donec perrumpat strenuè quidquid sibi
summa petenti obstiterit.
Pantheon Romanum inde Nomen habeat,
quod in imaginibus Martis & Veneris,
omnium Deorum imagines effictas exhiberet.
Tui Præsulei Honoris Pantheon,
Illustrissime, & Reverendissime Domine.
Sacrum efficit, Augustior Tuus animus,
omnium domi forisq; Virtutum
pulcherrima Sedes.
Sed Magnificentiam Splendoremq; addunt,
Paternum Maternumq; Genus
vndiquaq; Illustrissimum.
Paterna Decora nec Apelles nec Polycletus
è possibili rudis Artifex expressi; vel potiùs
ab illis, quorum sunt, expressa augustiùs
venerari pietatis duxi.
Materni ZAWADCIORUM Splendores,
in nocte scripturientis sepiæ
suis se produnt fulgoribus,
ceu lucidæ cornua Lunæ.
Quantùm Basilico dignitatis Tuæ Fano,
luminis celsissimi affundunt!
tantùm ingenio meo caliginis.
Agmen tantorum Luminum ducat,
non vulgari meritorum luce circumfusus,
ALEXIVS ZAWADZKI,
JSABELLÆ SIGISMUNDI I. Regis Poloniarũ Filiæ,

Ioan-

JOANNIS Hungariæ Regis conſortis,
Supremus Aulæ Moderator
Auguſtiore tantarum Majeſtatum judicio eligitur:
Magni momenti negotio, è voto Principum perfunctus
parem Regum fato prudentiam oſtendit:
quâ vidui pondera Regni
poſt funera JOANNIS
felicior Atlas, Magni Conſilij momentis ſuſtentavit.
Non enim alium tantæ moli parem
Prudentiſsima JSABELLA
Conſiliarium, etiam è Conſilio Deorum aſſumere potuit.
Quò altius magna & inſolita virtus progreditur,
invidiæ occurrit.
quæ ſumma quoq; imis confundere ſuevit;
Vicit hoc monſtrum horrendum. cui lumen ademptum,
Major ALEXANDRO ALEXIUS.
Quia illi, victrix fortunæ Sapientia,
Velut æs triplex circa pectus erat.
Belli Paciſq; Artium decora
ALBERTI ZAWADZCII,
gloria prima cedite!
Zelus veræ fidei, avitæ pietatis ardor,
Sanctiorem Lyparam animo accendunt,
His ille ignibus Orthodoxus Alcides
Lernæa mille hæreſum Capita,
id eſt Hæreticis dogmatibus involuta volumina
niſi combuſſerit, non extinguet!
Infeſtos verò lumini ignes fatuos,
niſi his infeſtis flammis corripit ac peſumdat?
Lucidam Orthodoxæ Religioni Pharon
novis ignibus non excitat.
Hac triumphali flamma Signavit Tibi viam
ad Sacrum Pantheon
Flamen Dialis
BARTHOLOMEE ZAWADZKI,
Canonice Cracovien: Płocen: Pułtovien: &c. &c.

Excel-

Excelſam Tuam indolem,
ad exotici ſolis radios
adeo exploraſti!
vt ſplendorum à virtute & Sapientia circumfluus,
quâcunq; inceſſeras; vbiq; veſtigia lucis,
nuſquàm tenebrarum relinqueres.
Priſcorum interpres Numinum
facundus Majæ natus, placido ſidere,
ſuos Tibi fandi lepores indulſiſſe videbatur:
quibus Tonantium Poloniæ,
SIGISMUNDI AUGUSTI,
& STEPHANI BATHOREI
gratias venatus:
oracula eorum, Imperatoribus & diverſis
Chriſtianis Principibus
Orator loquereris.
Corona Regum Poloniæ STEPHANUS,
idemq; regalis prudentiæ ſummus,
CAPUT Tuum Aureum
Tiaratis honoribus coronare decreverat,
niſi mors fata propera
eiuſdem Coronæ & vitæ,
Coronidem impoſuiſſet.
In ipſo Templi Propilæo dat ſe viſendum,
jucundo omnium gratiarum ſuccinctus Choro,
JOANNES ZAWADZKI Iudex Ciechanovienſis,
ALBERTI Frater, BARTHOLOMEI Patruus:
cuius honoro vertici, Moſchoviticæ
& Gedanenſes,
addunt decus laureæ.
Ob eximia animi excelſi ornamenta,
carum Nomen Principibus
SIGISMUNDO, AUGUSTO, & STEPHANO BAT:
aſt longè carius Cælo!
ob Iuſtitiæ & illibatæ Fidei æternas effigies,
quas mente integra Iudex coluit fovitq;.
SIGISMUNDO III. Regi Poloniarum Electo,

 adoram

ad oram Baltici Maris, ſplendido militum ſtipatus comitatu,
dum fidelitatis homagium reddit;
coronatum tanti Regis amorem meruit.
Quem,
inter Civiles Motus, Regali Throno infidos,
conſtanti fide & animi magnitudine maximè intendit;
Vſq; ad invidiam adverſarum partium & vitæ periculum:
illam tamen gloriâ; hoc magnanimitate ſuperavit.
Tenet ſumma Tholi,
Splendorum Maternorum apex,
ZAWADZCIANI Sanguinis gemma,
Inclytæ Columenq, Domûs,
IOANNES ZAWADZKI,
poſt Caſtellanatùs Gedanenſis Purpuram,
Palatinus Parnavien: Gubernator Suecenſis,
Avus Tuus Maternus.
Qualem & virum & animum Gradivus poſcat?
in Belgio, tàm armorum, quàm Literarum Gymnaſio,
Iuvenis didicit ſub Ductore Exercituum
Comite ab Emden,
Jn Polonia à vigeſimo ad Sexageſimũ 3tium Annum
per tot experimenta bellorum Heros Magnanimus probavit.
Non ſolum Martem ad Arma,
etiam Conſum ad negotia
Pacis & amicitiæ tractanda;
eius generoſo inſediſſe pectori cognovit.
Vtroq; ſupergreſſus Cæſarem
VLADISLAVS IV.
Regum Poloniæ Primus Felicianus,
Quia
horum Sanctorum, vt die Auſpicatiſsimo natus,
ita reliquias Polonæ pignora felicitatis & victoriarum,
Munere Pontificiô,
VRBANI VIII.
cum Benedictionis Amuleto

in Po-

in Poloniam tulit.
Hic Poloniarum Pyrrhus,
ſummô judiciô Cyneam ZAWADZCIVM elegit,
qui Arcana Majeſtatis & Reipublicæ Polonæ,
incomparabili prudentiâ, fide & Authoritate Legatus
ad Reginam Sveciæ, Palatinam Rheni,
Mariam Duciſſam Nivernenſem Principem Belgij:
ad Status Fœderatos; demùm quod contingit ſolium Iovis,
ad Reges Galliæ & Britanniæ
referret.
*Aquila ſit animô, cuius pupillam oculi & judicij acris,
acuant non perſtringant fulgurantium
ſerenitatum ſoles.*
Aquila vbiq; ad Solem publicum ZAWADZCIVS,
quia IOANNES:
non in Ganimede rapto,
Aſt in magnis Commiſsionibus,
ad Duces Pruſſiæ & Curlandiæ, Principeſq; Imperij:
fidele dextrumq; obſequium probavit,
Iovi ſuo eidem Sereniſsimo & fulminanti.
Noluerunt Boni Superi,
Tantam Virtutem, Cæleſtibus decus addere;
quin ex illa, ſolatium ſuperſtes & præſidium,
ſupereſſet Patriæ & Familiæ.
*Vnum damnum, ſed grande,
triplici fænore rependunt.*
In tribus Palatini Filijs:
JOANNE, VLADISLAO, FRIDERICO.
Digna tria altis Curulibus Capita.
Per gemina Reipublicæ tempora
Pacis & Belli,
præclaris provecti actibus,
inter pugnaciſsimos Martis Heroas, ſpectati fortiſsimi:
in Iudicijs & Comitijs Regni,
plus quàm Delphici Oraculorum Tripodes,
pro Legum integritate ſemper cordati,

 & vbiq;

& vbiq; optimi Cives."
Maiores meruêre quàm quos gessère honores.
adeò in Domo Tua Paterna Maternaq;
Magne Archipræsul,
perennem Virtus & Honor tenuêre nexum;
vt nullum ferme sæculum, ex quo cæpere, legas;
in quo Magni Sago Togâq; Viri,
& ex omnibus passim, non ocurrant lectissimi.
Sed,
Lectissima omnium Heroina, Gratiarum vna,
pulcherrimum virtutum omnium Consortium,
matronalium Decorum vivum Exemplar,
Summi Parentis Palatini Parnaviensis Filia,
non Ledeæ sed Divæ Helenæ,
Nomine insignior feliciorq;
HELENA ZAWADZKA,
Quæ Te Genuit Constantinum:
Cruce Archipræsulea adversa victurum, prospera recturum,
cuncta benedicendo serenaturum.
Levi adulationis impulsi flabello;
Asiæ populi, non leve momentum reputent,
Templum Tiberio & eius Matri Sacrare.
Ast Maximo Illustrissimæ Genitricis Tuæ,
Tuoq; Nomini, omnium Virtutum PANTHEON,
devoto simplicissimi affectus Academici cultu
quando impar Dædalus molior,
tantò longiùs sinceræ pietatis obseqvium
ab assentationis pestiferæ fuco secerno;
Lenta salix quantùm pallenti cedit olivæ.
Radiantia magnæ Virtutis & fortunæ exempla,
vix latere in vno, vmbratilis ingenij acumine signavi:
Parte alia animo fatisco, ipsa cogitatione
colligens, Colligatarum Familiarum æternùm lucida sidera:
quæ coniunctis splendoribus, diem sole maiorem efficiunt.
Purpureo iubare præradiat, ac velut
mane fert Lucifer almum, Stella ex Iacob;

IACO-

JACOBUS Archiepiſcopus Gneſnenſis,
Stemmatis ZIELINSCIANI celſitudo & faſtigium:
Amoris Divini Phœbea Lampas:
ſolidæ gloriæ, non ex inanibus floſculis collectæ,
Speculum, exemplum, & Nobile calcar:
Honoris Tui Archipræſulei aurora & meridies.
Sole publico laceſſiti HERBVRTORVM Gladij,
Trabeatam lucem ſuam, vſq; ad Sidera everberant;
vbi pomum ſuum non viride, ſed aureum,
Dederunt Pulchriori ZOŁKIEVIÆ,
Dearum ſanguinis vni,
NICOLAI HERBURT, Caſtellani Camenecenſis,
Herois tam bello, quàm Pace Clariſsimi,
Conſorti gratiſsimæ:
Cui, conſanguineum Ancile,
Invictiſſimi IOANNIS III. Poloniarũ Regis,
adamantinum Orbis Chriſtiani Munimen,
fatale Turcicæ Potentiæ fulmen,
nunc iam ſuo, vnde miſſum fuerat,
receptum Cœlo.
Immenſæ Maieſtatis fulgur affundit,
Sereniſsima hæc omnium lux,
cum BARBARA de Fulſtyn HERBURTOWNA,
Magni Parentis Tui Genitrice, Tuáq; Avia;
ita Domum ZIELINSCIAM circumfulſit.
Vt & Pantheon Tuum ſplendidiſsimè ſerenet.
Nec minùs illud irradiant,
æmulis cœlo ignibus,
Triumphales ZAMOYSCIORVM Haſtæ,
& DZIALINSCIORUM Sagittæ, in cælo Sarmatico,
Non modici ſplendoris Metheora,
Sed ætheris alti ſimillima,
æternùm ſtellantia decora.
Auſpicijs felicioribus: nam verioribus,
quàm olim Iovi Aquila,

D ad cla-

ad claros ex gigantibus triumphos;
ad ſumma omnia Tibi prævolat,
Sacra Craſinſciorum Ales,
quæ in Aula ſiderea ſuam ſtellam habet:
cuius ope VALERIVS, inſigne Populi Quiritium columen,
cum Gallico ſpolio, cognomen CORVINI adeptus.
Hæc etiã novos, Poloniæ in CRASINIIS Corvinis Valerios providet.
Quorum peculiaris laus, ſemper habita eſt,
pro Libertatis cuſtodia,
in ſumma Reipublicæ ſpecula,
acerrimè omnium excubaſſe.
Etiàm Tui Honoris Pantheon,
à perennitate avitæ gloriæ rotundum,
fulget imagine cæli.
In quo ſigniferum exhibet,
Gemmea GEMBICCIORVM & NOVODWORSCIORũ FASCIA.
Radiant in hoc Zodiaco, omni ſidere pulchriùs,
Aries ROSCISZEWSCIORVM,
felicium annorum auſpex:
pro Tauro, Maternorum ſplendorum CORNVCOPIÆ,
quo bicornis Infulæ Tuæ fulgor, amplius nitet:
metuendus hoſtibus GNINSCIANVS DRACO:
prò Virgine aſtræa, fortis Amazon SZYDŁOWSCIORVM,
quæ inſidens VRSO, nunquàm occidentem
accendit Cynoſuram, Poloniæ Argo:
Fulgurat æſtivis ardoribus Leo PARISSORVM,
maturans Lechæis in arvis auream meſſem.
Hæc per cognata clariſsima ſigna,
non vt Mater Deùm Berecynthia,
per alta Dindima,
Magnanimis SCZAVINSCIORUM vectus Leonibus,
aurea ſecula Rutheno Climati,
Sol ipſe illuſtriſsimus convolues.
Tecum, à MORSZTYNIA quoq; Luna, novo ſeculo,
incipient Magni procedere Menſes.
Non gratiùs micant, aſtra ſuo fixa Polo,

quàm

quàm in summo PANTHEI Tui Tholo,
fulgentia VCHANSCIORVM LABARA,
triumphales ZAWADCIORUM CRUCES,
palmares GRZYBOWSCIORUM FALCES,
inexpugnabiles GARWASCIORUM TURRES,
aureæ LASOCCIORũ MNIEVSCIORũq; SOLEÆ,
perennia heroicæ virtutis Trophæa,
immortalia Polonæ Libertatis ornamenta,
æternùm mansuræ, ingentium animarum imagines.
Totus splendor & Purpura, præclari Poloni sanguinis,
omnis armatura Fortium,
NOSZKOWSCII, KUCZBORSCII,
PODOSCII, MDZEWSCII, SLESZYNSCII,
DUCYMINSCII, KĘCZEWSCII,
coniunctis fulgoribus,
solenne ingressùs Tui festum coronant.
Sed Tu omnium,
Corona & Triumphus.

PANTHEON
CORUSCO VIRTVTVM
&
MERITORUM SPLENDORE,
JLLVSTRISSIMI, & REVERENDISSIMI DOMINI,
ARCHIPRÆSULIS,
Persimile Cælo.

HActenus tenuis Musæ penna,
inter Camillos, Fabios, Scipiadas
duros Bello & Catones;
quos ardens evexit ad sidera virtus,
per titulos memoresq; Fastos,
collectam è pulvere Olympico & Martis arena
sæpiam bibisti!
Iam evola super alta Deorum culmina,
& super Vertice Cæli consistas,
vt sereno vicinos consimilesq; Cælo;
quia omni meritorum illustrium luce coruscos,
exhibeas decores.
Nimirùm,
Illustrissime, & Reverendissime Domine ARCHIPRÆSVL,
PANTHEON,
Gentis Tuæ, planè ab Iove deducta,
vndiquaq; splendoribus circumfusum perpetuis;
eo, cum Regia cæli, simbolum confert;
quia, vt Romuleum, sine fenestris & superiore tecto,
sub Iove libero, liberiùs vno quasi oculo,
sed immenso,
immensi operis cæleste artificium prospectat.
Nunc,
Te, fastigio Honoris Archiepiscopalis, eminente,
Cælo persimile & Summum Deorum colitur:

Nempè

Nempe,
tota tàm Basilici Operis Maiestas,
non in saxis Memphiticis,
quæ invidiosa consumit vetustas,
sed in augusti
animi stat mole Tui.
In quo, ceu augustali Empirio,
speciosissimus omnium virtutum conventus,
cunctorum mentes, in venerationem
& admirationem Tui, vltro citroq; provocat,
non aliter ac quondam,
Lectus concilio Divum convenerat ordo
Interiore Polo.
Nam si primam Lucinæ Tuæ,
sagatior mentis pupilla inspexerit lucem,
en ipsi Horoscopo
amicus Musarum arrisit Phosphorus,
cum prospero & salutari Iovis fulgore,
Divinæ mentis Genium, & non omni mortali,
concessam indolem irradians:
Quæ vt illustrior fieret,
in Serenissimi Iagielonis Chemisphæriô;
Vnicum & Maximum Sarmatici Poli jubar,
volvens inexhausto redeuntia secula motu,
Academicus Phæbus,
addit luminis Augem.
vbi, quanta Spirasti eruditionis solidæ lumina,
futurum Magnum Orbis Poloni Luminare,
Stupuit Titania Pubes,
velut stellæ Minores, à Maiori Planeta lucem mutuando:
quas propè nitente, cunctis splendoribus ore,
collustrare videbare.
Nec sine ingenti pectorum plausu,
Apollineæ lucis administri extitere:
quoties laurigero æstro excitatum,
indies majoribus doctrinæ scintillis micantem,

vivum velut ſub pectore Phœbum
ſpectarent.
Cui nullum dixere parem,
inter ſe conferendo:
Igneus eſt illi vigor & cœleſtis Origo.
Spargitur vltra hic radius,
inter ſerenæ fulgura gloriæ!
Adeo fervens eſt ad gloriam Nobile ingenium!
vt quemlibet aut pari adæquare virtute,
aut maiore præcurrere velit!
Ergo,
majus Serenum ab Exotico ſole ſortiturus,
Jlgoſtadienſis Vniverſitatis Horizonti,
Cleantheam diligentiæ offers lampadem;
quæ magis, flammeis ſuccenſa ignibus,
ſuperno æquetur Olympo.
Confeſtim
acutiora in Te cunctorum rapuiſti lumina:
ipſe ſine nube,
vti genuina Aquilæ Polonæ Soboles,
in publicam lucem irretortam retorquens
palpebram.
Non hic ſtationarius Polono ſub Polo natus!
ne Te, Principum oracula locuturum;
ne, ex Cathedra Tua reſponſa daturum,
laterent toto Orbe celeberrimi
Pariſiorum Delphi:
illos viſere & Conſulere Clarij Tripodas,
non ſine Cortina, altioris Conſilij viſum.
Cuius Sereno vultui,
inter Auguſta Gratiarum viridaria,
aperto ore, candidiſsima arrident Lilia;
auidiùs quàm Memnonis ſtatua,
exortum ſalutatura Phœbum.
Cuncti agnoſcunt Aureum Caput,
ex eoq;

ex eoq; potiùs Minervam,
quàm ex Iovis Cerebro nascituram.
Erymanthium sane dixerint,
quia Herculeis Antecessorum manibus receptum,
per Te Orbi exhibetur visendum.
In illo amplissimo omnium scientiarum Emporio,
more Scipionis Africani,
omnis doctrinæ, & Author & Admirator,
geminos soles, perennibus Musarum donis,
vbi impendisti;
Gaditanum forte notasti:
Non plus ultra?
Minimè,
Restabat sola cælesti minor in terris;
sed tamen, Vicaria Cælorum Majestas Vaticana,
in quo eminet LATIALE CAPUT.
Huic Gentilitium submisisti meritò,
vt Cælestibus Gratijs, & Sacræ Scientiæ Censu,
Virtutum Meritorumq; tuorum consecraret
PANTHEVM.
Romæ Orbis in Compendio,
Divinæ Sapientiæ Orbem,
qui, sublimis totus per æterna volvitur,
imâ duntaxat superficie, terrena non tangit,
Cœlesti similior Intelligentiæ,
integro quadrigennio volvisti,
vt Tibi, ad Sancta Sanctorum aditum patefaceres;
quæ, soli Sacræ Theologiæ & Canonum scientiæ, patent;
profanum omne vulgus procul excesse jubent.
Illinc postquam ab Astræa
clara Divûm progenie,
vtroq; radiantium nexu coronarum,
Ornatus Caput,
auspicijs raptus Patriæ,
secundo sidere movisses gressus:

 pro

protinùs attigisti serenos Regum apices.
Reduci Tibi non sine triumphali nominis essedo,
Lucidissima MICHAELIS I. Regis Poloniarum
Cynthia,
Principalium favorum affulsit radijs,
ac individuum Comitem perpetui sui motûs elegit.
Et certè
si terrenis diutiùs arsisset, & ignibus,
Cælestibusq; flammis, lucem non inseruisset,
jam pridem in auge Honorum,
inter Tiaratos Mitratosq; vertices
Caput Tuum fulsisset.
Heu quam!
invida fatorum series! summisq; negatum stare diu!
Verum,
Sidera sideribus concurrunt,
& unius occasus tristis, sereniori
alterius ortui, porrigit vicem.
Nec quem emeritis viris,
in summis numina rebus
crescendi posuere modum,
hoc invida fortuna sua eripere potest.
Cùm ergo splendida Regalibus factis Phæbe
vitalium spirituum bigas agitare per orbem,
indignata nitidum diem poposcerit sibi:
En pleno, Maiestatis & Martiali supercilio,
quo, bella peragebat, hostesq; placidè ad gratias
componebat, verè sidus gratiosissimum exortum,
JOANNES Tertius:
celerioribus quadrigis,
Te, in summum Honoris evehere proposuit,
Regiæ frontis sidere,
Virum omnis excellentiæ intuitus,
nec spem Tuam elusit eventus,
omnibus Te præponi Honoribus voluit,

Vnde

vnde Vladiſlavienſis, primo Cathedræ

Præpoſitum elegit.

Non turgeat nimio faſtu,

ingenti corporis mole præſtans, audax Iapeti genus

vni contra gigantes,

captivo inijcientes brachia cælo,

auxilium utraq; tuliſſe manu.

Gentilitiam Tuam,

quis dubitat vnam, ferre duobus opem?

videlicet,

Templa Deûm, Sacraſq; Ædes, Divûmq; Sacella,

veriſsima cæli convexa,

ingemino Vladiſlavienſis, & Płocenſis Epiſcopatûs climate,

ſimul & ſemel, Fulminatoribus deſtituta ſuis

Tui Tutelaris præſidij quantam ſenſere curam!

quantam ſolicitudinem & vigilantiam!

Non deſtitiſti,

Numinis inſtando favori

Tuam, ceu fulminibus Iovis armatam, quòcunq; vocabat

Ferre manum, ſucceſſus vrgere ſuos,

impellens, quidquid ſumma petenti,

obſtaret; aut in ſua Templa, furorem exerceret.

Vbi verò

irretortâ proſpexerit pupillâ

Aquila Polona Ioannes,

hæc ſiderea culmina Tuum, ſuperfulſiſſe CAPVT Nubiferum.

Jllico Te,

cui Delphica fatidici reſerata penetralia Phœbi,

Cyrrhea ſecreta moventem ſolicitat;

vt illius, & Reipublicæ arcanorum conſcius,

ad Comitia Mariæburgenſia

munere Oratoris Publici fungereris.

Ipſa dedere, proſpera ſigna Dij,

vt dexter

F pro Do-

pro Domo Regia, proq; Majestate Polona,
longè felicior, Cynea oracula loquereris.

Auxisti Majestatem Regiæ Personæ,

quando aurifluo eloquij nexu, divisos animos
ita colligasti,
vt cuncti, perrupta trementi, verba darent sono.
Quis talia fantem effundet calamus?

-- sponte Deorum,

Cyrrha silet, fatiq; sat est arcana futuri,
Carmina longævæ, vobis commissa Sybillæ,
Seu Pæan solitus, Templis arcere nocentes,
Ora quibus soluat, nostro non invenit ævo.

Post hæc,

Antistes Juris, & Legum Sacer Doctor,

cui Themis suum recluserat pectus,
suoq; Astræa foverat sinu,
terras relinquens:

Ad Supremum Regni Tribunal,

& Summi fastigia Iuris,

Deputatus,

rectam aggressus es viam, Iustitiæ tendentis in astra;
Iudiciumq; Tuum, sicut meridiem sine vmbra
esse, decrevisti.
Præclarè approbans,
Thebanorum statuas, honori Magistratuum,
expositas, sine manibus esse.

Quia,

Vindex avaræ, fraudis & abstinens,
ducentis ad se cuncta pecuniæ,
Iudex non unius anni,
siderea religasse Zona,

Gentilitiam voluisti Dextram.

Iusto itaq; faventis cæli calculo,
Virtus Supremi conscia Numinis,
pro meta laborum, dulce Tibi lucrum posuit,

Fasces

Fasces & Mytras Pontificales.
Te anhelantum ignea siderum,
Suspirat Ædes, Principis aureos
Invise postes.
Nimirum:
Eminentissimus S. R. E. Cardinalis,
MICHAEL STEPHANVS,
Comes in Radzieiowice & Kryłow,
RADZIEIOWSKI,
Archiepiscopus Gnesnen: Legatus Natus,
Regni Poloniæ Primas, Primusq; Princeps,
Aureum AGNI Sui Vellus,
Byssumq; & Purpuram Sponsæ Suæ,
in Tuis tornatilibus, & aureis deposuit manibus;
Principem Sacrorum curam commitendo.
Multum de Cælo Divini vigoris,
mens illa trahat, est necesse,
cui, vicina superis fastigia, non è proximo tueri;
sed ornare contingit.
Præsul Hieropolitanus factus,
& Almæ Ecclesiæ Metropolitanæ,
Gnesnensis Suffraganeus.
Summa pietate, cura, & vigilantia Pastorali,
speculum in Te & Sacrarium exhibuisti,
Divini Amoris spiraculum,
& animi moderatissimi læta tempe,
Clero Populoq; Archidiæcesano:
Civibus Patriæ amorem & delicium.
Quodsi
Regibus Persarum ignis Sacer,
Pyrois & Dux ad Purpuram!
Quidni Tibi!
Zelus Domûs Domini, Prodromus sit,
ad Archiepiscopale Pallium?

Non potuit auguſtiùs judicare
de Tuis illuſtribus meritis
Sereniſſimus & Invictiſſimus
AUGUSTUS SECUNDUS,
Poloniarum REX,
quàm Te ſecundo, Regali oraculo,
Eccleſiæ Metropolitanæ Leopolienſis,
Regem Sacrorum nominando.
Qui magnæ prudentiæ, & omnium virtutum ſplendore
Primatialem Gneſnenſem,
Suffraganeus circumfulſeras.
Exultant igitur à conſpectu Tuo,
terq; quaterq; felices, Leoburgici Montes.
Applaudunt gemini, Parnaſſi Academici Colles,
& Sceptris ſuis in Crucem colligatis,
proſperam, ingreſſui Tuo, ſignant viam,
Gladios ancipites Regios, laureatis manibus,
prætendentes: cum voto ſolenni;
vt Mater Leonis de Tribu Iuda,
Perauguſti Capituli,
Eccleſiæ Metropolitanæ Leopolienſis,
Tutelare Decus & æternum Inſigne,
præſtet Te longævum Regno, magni Conſilij Senatorem,
Eccleſiæ Dei pervigilem Paſtorem:
Favum Mellis,
in ore Leonis.